



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Antidota Evangelica Contra Horvm Temporvm Hæreses

In Qvibus Quatuor Euangeliorum illi textus explicantur, quibus vel hæretici hodie (maximè Calvinus & Beza) ad sua dogmata propugnanda vti solent, vel ad hæreticorum dogmata impugnanda Catholici vti possunt

Stapleton, Thomas

Lvgdvni, 1595

17. Tu quum ieiunas, vnge caput tuum, & faciem laua.

urn:nbn:de:hbz:466:1-39463

17. *Tu quum ieiunas, unge caput tuum,
& faciem laua.*

Ieiunium
Caluino
victus mo-
deratus.

Ieiunium hoc loco à Christo ab hypocrisi reuocatum, mirabili metamorphosi, ad victus moderationem à lautitiis & deliciis reuocatam transfert. Caluinus. Sic enim in hæc verba scribit. *Non iubet Christus simulare lautitias, nec indulget deliciis in unguentis & vestitu, sed simpliciter nos hortatur ad tenendam moderationem, in qua nihil sit vel nouum vel affectatum; ac si diceret ita ieiunijs vacandum esse, ut in consueta vita ratione nihil mutemus.* Hæc ille. Ieiunium definit, victum moderatum & consuetam vitæ rationem tenere, nihil in ea mutando. Quod autem iubet Christus, *faciem ungere, & caput lauare*, hoc nec ad victum nec ad vestitum pertinet, ut somniat Caluinus, sed tantum ad externum corporis cultum, in quo nihil mutare nos Christus vult. Ieiunium autem si nihil nisi moderationem victus significat, ut Caluinus cæterisque hodie hæretici volunt, ergo Apostoli & discipuli Christi moderationem victus non tenebant, quia Christum sequentes *non ieiunabant sicut discipuli Ioannis* frequentes. Ergo & Paulus quum inter cæteras tribulationes & exercitia dicit, *In ieiunijs multis*, intelligendum est dixisse: Multoties moderatum victum tenui, aliàs verò & frequentius in lautitiis & deliciis vitæ egi. Ergo Prophetæ & Doctores illi Antiocheni, qui ieiunantes & orantes imposuerunt manus Paulo & Barnabæ, intelligendi sunt tunc quidem moderationem victus tenuisse, & de consueta vitæ ratione nihil mutasse, aliàs verò lautitiis & deliciis ac genio indulgisse. Sed nihil est Caluina-na doctrina aut absurdius aut impudentius. Vide plura in Prompt. Catholici parte Quadragesimali, in feria 4. Cinerum.

Luc. 5.

2. Cor. II.

Act. 13.

18. *Pater tuus qui videt in abscondito, reddet tibi.*

Ieiunium
opus Deo
gratum.

Hæc etiam Christi verba arrodit Caluinus. Sic enim scribit. *Quod ieiunijs mercedem à Deo promittit Christus, impropria locutio est, ut supra de precibus dictum est. Ieiunium enim per se opus medium est, non autem ex eorum genere quæ Deus requirit & probat, ut sunt eleemosyna.* Hæc ille. Scilicet quæ hæreticorum placitis in Scriptura repugnant, improprie dicuntur. Sed quum Christus eisdem verbis ieiunio mercedem promittat, quibus antea precibus promiserat; manifestum est non minus proprie hoc loco Christum loquutum esse quam